

+
JMJ

An Apostolate of Gratitude
A Devotion of Giving Thanks To Jesus Through Mary

A Proposed Minimal Format for the Little Devotion

This Apostolate of Gratitude has one purpose: the giving of thanks to the Triune God, nothing more or less or besides. (1 Tim. 2:1)

In nōmine ☩ Patris et Fílii et Spíritus Sancti. Amen.

Ant. Omnis spíritus * laudet Dóminum.

Psalmus 148

Laudáte Dóminum de cælis : * laudáte eum in excélsis.

Laudáte eum, omnes Angeli eius : * laudáte eum, omnes virtútes eius.

Laudáte eum, sol et luna : * laudáte eum, omnes stellæ et lumen.

Laudáte eum, cæli cælórum : * et aquæ omnes, quæ super cælos sunt, laudent nomen Dómini.

Quia ipse dixit, et facta sunt : * ipse mandávit, et créata sunt.

Státuit ea in æténum, et in sæculum sæculi : * præceptum pósuit, et non præteríbit.

Laudáte Dóminum de terra : * dracónes et omnes abýssi.

Ignis, grando, nix, glácies, spíritus procellárum : * quæ fáciunt verbum eius :

Montes, et omnes colles : * ligna fructífera, et omnes cedri.

Béstiae, et univérsa pécora : * serpéntes, et vólucres pennátæ.

Reges terræ, et omnes pópuli : * príncipes, et omnes iúdices terræ.

Iúvenes, et vírgines : senes cum iunióribus laudent nomen Dómini : * quia exaltátum est nomen eius solíus.

Conféssio eius super cælum et terram : * et exaltávit cornu pópuli sui.

Hymnus ómnibus sanctis eius : * fíliis Israël, pópulo appropinquánti sibi.

Psalmus 149

Cantáte Dómino canticum novum : * laus eius in ecclésia sanctórum.

Lætétur Israël in eo, qui fecit eum : * et fílii Sion exsúltent in rege suo.

Laudent nomen eius in choro : * in týmpano et psaltério psallant ei :

Quia beneplácitum est Dómino in pópulo suo : * et exaltábit mansuétos in salútem.

Exsultábunt sancti in glória : * lætabúntur in cubílibus suis.

Exaltátones Dei in guttúre eórum : * et gládii ancípites in mánibus eórum.

Ad faciéndam vindictam in natióribus : * increpatíones in pópulis.

Ad alligándos reges eórum in compédibus : * et nóbiles eórum in mánicis férreis.

Ut fácient in eis iudícium conscríptum : * glória hæc est ómnibus sanctis eius.

Psalmus 150

Laudáte Dóminum in sanctis eius : * laudáte eum in firmaménto virtútis eius.
Laudáte eum in virtútibus eius : * laudáte eum secúndum multitúdinem magnitúdinis eius.
Laudáte eum in sono tubæ : * laudáte eum in psaltério et cíthara.
Laudáte eum in týmpano et choro : * laudáte eum in chordis et órgano.
Laudáte eum in cýmbalis benesonántibus : laudáte eum in cýmbalis iubilatiónis : * omnis
spíritus laudet Dóminum.

Glória Patri, et Fílio, * et Spirítui Sancto.
Sicut erat in princípio, et nunc, et semper, * et in sácula sáculórum. Amen.

Ant. Omnis spíritus laudet Dóminum.

[Oratio pro summo Pontifice]

In nómine ☩ Patris et Fílii et Spíritus Sancti. Amen.

Composed mainly at St. Michæl's Cathedral (Archdiocese of Toronto) on the Optional Memorial of St. Hilary, 2025.

Saints Hilary and Felix, pray for us!